

pua quæ *σύνολον* omnium articulorum fidei continent, & non tantum de uno vel altero capite contra hunc vel illum agunt: *Apostolicum* nempe, *Nicenum* in Synodo Nicena Anno 325. compositum, & *Athanasianum* in Synodo Alexandrina Anno 371. approbatum.

XLIV. *Symbolum Apostolicum*, verbis quidem quibusdam aliis ac jam recitari solet, re ipsa tamen quoad principales articulos idem. *Irenæus* l. 1. cap. 2. ita refert, quod nempe *Ecclesia fides ab Apostolis accepta sit in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt. Et in unum JESUM CHRISTUM filium DEI nostræ salutis causa incarnatum, & in Spiritum Sanctum, qui per prophetas DEI dispensationes & adventus predicavit, & ortum ex virgine, & passionem & resurrectionem à mortuis, & cum carne in cælos adscensum dilecti Domini nostri JESU CHRISTI, & à cælo in gloria Patris adventum ipsius ad instauranda omnia, & à morte ad vitam revocandam omnem mortalium omnium carnem &c.*

XLV. Hanc fidem antiquorum Germanorum quoque fuisse idem *Irenæus*, (cui ob viciniam Germaniæ status præ aliis notus esse poterat) ibidem testatur, non tantum in genere asserens: *Ecclesiam per universum orbem usq; ad extremos terræ fines dispersam, fidem hanc ab Apostolis eorumq; discipulis acceptam, conservare, perinde atque unam domum incolens, unam animam unum idemq; cor habens, & quasi uno ore prædita cap. 2. & 3.* Sed & dum in particulari quasdam Ecclesias enumerat, Germaniam in fidei hujus sincerâ & constante approbatione primo loco ponit, inquiens: *Ac neq; hæ quæ in Germaniis sitæ sunt, Ecclesiæ, aliter credunt aut aliter tradunt (αἱ ἐν γερμανίαις ἰδοιμένα ἐπλησία ἄλλως πεπιστεύκασιν, ἢ ἄλλως ἐδιδόκασιν)* nec quæ in Hispaniis aut Galliis aut in Oriente, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in mediterraneis orbis regionibus sedem habent.